

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Ehregott Gundlach

Analecta literaria Medicinam forensem spectantia : Dissertatio inauguralis


Rostochii: Literis Adlerianis, 1817


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007502908>

Druck Freier  Zugang



OCR-Volltext





Analecta literaria
Medicinam forensem
spectantia.

Dissertatio inauguralis

quam

Auctoritate et consensu Illustris Medicorum
ordinis

in Academia Rostochiensi

pro

Gradu Doctoris medicinae et chirurgiae
publico eruditorum examini

submittit

Joannes Ehregott Gundelach,
Wismariensis.

Rostochii 1817.
Literis Adlerianis.

Meliorum foliorum
speciosiss.

A
Dissertatio
affingens

de rebus in libro

meliorum foliorum speciosissimorum

Bibliotheca
Academica
Rostrenensis

visi libri

in bibliotheca servata

...
...
...
...
...
Analecta literaria

Medicinam forensem spectantia.

Omnia fere scientiae medicae partium nullae tam sero ac *ars obstetricia* et *medicina forensis* ad aliquem pervenerunt perfectionis gradum. Dum enim caeterae ejusdem partes, non tot obnoxiae impugnationibus, ad maiorem sensim progrediebantur certitudinem, mutuum sibi ad assequendum scopum praebentes, auxilium, illae duae ignorantiae quodam squalore oppressae diu jacuerunt. Praeprimit autem infaustum quasi omen obfuit medicinae forensi. Longo enim temporis intervallo opus fuit antequam progrediens conspici potuit; diuque jam *ars obstetricia* aliquo eminuerat fastigio, cum *medicina fo-*

rensis vix scientifice pertractari coepisset. Cujus sane phaenomeni caussae partim in ipsa cum homine ipso nascente istius artis necessitate, partim in inutilitate hujus scientiae, si statum mundi ab incunabulis gentium respicias. Tunc temporis enim nondum rationes partus aderant abscondendi; nondum remedia investigata erant abortiva; nondum alicui per cruciatum confessio criminis magiae extorta erat; denique ars veneni proximo parandi nondum tanta exculta erat methodo.

Fuerunt tamen qui medicinae forensis originem altius et quidem ex summa antiquitate repetere studuerunt. Non quidem negarem: vetustatem pererutanti vestigia obvientura esse casuum, civilium et criminalium, quibus judices necessarium duxerint medicos adhibere; at legitimum in foris scientiae medicae usum demum per *Constitutionem Criminalem Carolinam* introductum fuisse, mihi quidem extra omnis dubitationis alcām positum esse videtur. Optime enim,

monente **MALBLANCKIO** *) nullam ante annum MDXXXII invenies doctrinam de inspectione oculari judiciali neque magis de sectione cadaveris in casu homicidii. Non enim isti inspectioni rite factae priscam illam aequiparabis consuetudinem Germanorum, qua fur manifestus illigata dorso re farto ablata aut hominis occisi cadaver membrumve oculis subjiciebatur judicis, quo is facilius posset eruere corpus delicti; multoque minus hoc referes stultum illum morem adducendi per simulationem homicidae, ut is manu eonfrectaret cadaver. Ista sane constitutio criminalis necessarium sancivit inter judicem et medicum nexus; litemque antea motam super quaestione: placitum judicis egeatne placito medici ad ferendam sententiam legitimam, nec ne? — verbis desertis diremit; ejus praeecepti rationibus investigandis Viri, jugum ratiocinio jugo praeferen tes arbitrii, cum felici eventu suae ipsorum de earum soliditate persuasi oni operam navarunt.

*) Geschichte der P. G. O. p. 72, 73.

Huic legi non fuit par sapientiae suae auctoritas, quippe pars Jureconsultorum tunc temporis gravissimorum eam supercilio quasi quodam alto despexit, parsque Statuum Imperii eam vel non vel saltem frigide receperunt. Facile inde colliges, usum illorum legis articulorum, qui de consultatione medicorum caverunt, non nisi pedetentim, praesertim autem in saeculo decimo septimo, ubi constitutionis carolinae auctoritas crescere coepit, in foris territorialibus germanicis fuisse introductum.

Ipsa e Germaniae finibus in caetera Europae regna facta divulgatio constitutionis carolinae abunde docet, Germaniae partes instabiliendo isto usu forensi scientiae medicae fuisse primas et praecipuas. In Gallia primum anno MDCVI chirurgos invenimus publice ordinatos, quibus, mediante avaritia et superbia archiatri regii, omnes demandatae erant disquisitiones medico-judiciales *).

*) Observations chirurgico-legalcs sur un question important de la jurisprudence criminelle, lues

Nulla autem alia Europae regione scientiam medicam tanto in decidendis casibus civilibus et criminalibus gaudere momento certum est ac in nostra patria germanica, ita ut consultationes medicorum et aliorum artis peritorum in casibus modo enuntiatis, simulac veritati inserviant eruendae, lege cautae sint. Inde etiam apud nos medicus et chirurgus forensis strictiori nect sunt relatione ad judicem, et ubique fere terrarum germanicarum plures sunt ordinatae instan- tiae medicinales, quarum decisiones a judice in casibus gravioribus petendae sunt. Discre- pant tamen admodum inter se diversae di- versorum territoriorum Germaniae Ordina- tiones medico-forenses, quarum diversitatibus exponendis loco hoc incongruo tamen non immorabimus.

Sicuti autem Germania nostra in adhi- bendo usu forensi scientiae medicae cacteras

à la séance publique de l'Academie des sciences de Dijon le 20. Dec. 1789 par le Professeur CHAUSSIER. Dijon 1790.

nationes anteivit, ita quoque in medicina forensi excolenda artisque ad legem efformenda Germanici praeципue medici elaborarunt, iisque sane fastigium, ad quod elata est, debetur conspicuum. Magna sunt sane merita de hac scientia antiquiorum medicorum, nempe: HALLERI, AMMANNI, BOHNII, DANIELIS, ESCHENBACHII, TEICHMEYERI, FASELII caet. neo non noviorum, nempe; METZGERI, PYLII, GRUNERI, ROOSII, AUGUSTINI, WILDBERGII et HENKII. Hos viros hic nominasse sufficiet, quippe neminem scripta eorum fugiunt satis nota.

Juvabit tamen evolvere libros sequentes, qui optime quid germanici in specie medici de medicina forensi meruerint, exponunt:

a. GELIKE Introductio in Historiam literariam scriptorum, qui medicinam forensem illustrarunt.
Fr. 1725.

b. VIGILIIS ab KREUZENFELD Bibl. chirurgica. T.I.
Chirurg. forensis.

c. DANIEL Entwurf einer Bibliothek der Staats-
arzneikunde. Halle 1784.

- d. WEBER in HALLERS Vorlesungen über die gerichtliche Arzneiwissenschaft. I. Bern 1782.
Satz, 31 - 68.
- e. FAHNER System der gerichtlichen Arzneikunde:
B. I. II.
- f. KNEBEL Handbuch der Literatur der gerichtlichen Arzneikunde bis zum Ende des achtzehnten Jahrhunderts. Görlitz 1806. I. Abth.
- g. Kritische Jahrbücher der Staatsarzneikunde für das neunzehnte Jahrhundert. Herausgegeben von C. KNAPE und A. F. HECKER. Berlin 1806-1809. B. I. II.
- h. Archiv der Staatsarzneik. von F. L. AUGUSTIN.
B. I. II. Berlin 1804. 1805.
- i. Jahrbuch der Staatsarzneikunde von J. H. KOPP.
Jahrg. I-IX. Frkf. 1806-1817.
- k. G. H. MASIUS Almanach für Aerzte und Nichtärzte auf das Jahr 1817. p. 254.

Vestigia germanicorum medicorum, qui in medicina sudarunt excolenda forensi, prae-
primis a gallicis excepta sunt medicis, licet non ideo assererem, scientiam ipsam ab iis-

dem vere fuisse provectam. Compendia
FODEREI, BELLOCI, VIGNII plurimumque
aliorum magna laborant penuria egentque
praeprimis divitiis novissimarum detectionum
in omnibus fere partibus Physicae et scientiae
medicae, quibus eodem tempore impressa
mediorum germanicorum abundant scripta.
Collectiones observationum, qualibus ab illu-
stribus **PYLIO, METZGERO, BUCHHOLZIO,**
KOPPIO aliisque se ditatam merito gloriatur
Germania, Gallia nobis non dedit; multum
quidem inter se hi gallici medici de quibus-
dam controversiis e. g. de legitimitate partus
serotini disputarunt, nullo tamen fructu inde
ad majorem certitudinem rei ipsius dubiae
redundante.

Quaecunque medicinam forensem spectan-
tia apud caeteras in publicam lucem prodi-
bant nationes, hucusque nobis fere ignota
manserunt; lectoris hasce pagellas tamen e
his quaedam felici quodam fato et epistolari
commercio exterorum ad nos delata erudi-
torum virorum offerimus. Id unice in votis

habemus, ut lector benevolus iis tanquam
Paralipomenis historiae literariae medicinae
gaudeat forensis.

„Cirugia forense general y particular, dividenda
en quatro partes. Obra original de D. JUAN
FERNANDEZ DEL VALLE, Profesor de Cirugia,
y segundo Ayudante de Anatomia en el Hospital
general de esta Corte. Tomo I-III. En Madrid
Anno de 1796.”

Hujus operis hactenus in nullis mentio est
facta actis eruditorum. Unum sui generis,
id quod ex plurimis colligimus locis, omnino
Hispania esse videtur, quod nemo status
politici hujus regni gnarus sane mirabitur.
Attamen non ineptis inutilibusve compendiis
medicinae forensis annumerandum hunc li-
brum censeo; doctrinae enim soliditate et
distincta rerum pertractandarum expositione
plurimos anteit gallicos scriptores. Notitia
medicinae forensis literaria multo melius exi-
stimarem auctorem hunc imbutum ac a medico
hispano exspectari posse videtur. Norit opera

ZACCHIAE, AMMANNII, BOHNII, VALENTINI, TEICHMEYERI, HEISTERI, ALBERTI, ZITTMANNI, RICHTERI (Digesta medica), TROPANEGRI, HASENESTI, HEBENSTREITII, PLENCKII, PLOUCQUETII caet., nec non plures nostrorum Jureconsultorum e. g. LEYSERUM, KOCHIUM, BOEHMERUM caet. Inprimis multa hausisse videtur ex TEICHMEYERI Institt. med. legal., ex Anthropologia forensi HEBENSTREITII, denique etiam ex PLOUCQUETII Commentario medico in processus criminales. Obveniunt tamen in opere ipso haud pauca, quae auctoris testantur ipsius meditationes.

Praceuntibus LUDWIGIO, SIKORA, PLENCKIO et FAHNERO medicus hic hispanus medicinam forensem dividit: in civilem (cirugia forensis civil - politica), militarem (militar), ecclesiasticam (canonica) et criminalem (y criminal). Mitto hic notissima, quae opposueris huic rerum divisioni, inprimis quod ea nimis ausam det repetitionibus, cum multae luc respicientes materiae in jure civili aequo

ac criminali pertractandae sint. Formam, quam constitutio criminalis carolina actuum praescribit legitimitati medico-forensium, eandem invenis esse in Hispania ac in nostra Germania; in medio autem relinquere cogor quaestionem gravissimam: num publica ibidem medici et chirurgi sint ordinati auctoritate?

Plures libri partes eminent soliditate et sollertia auctoris, qua disquisitiones suas omni numero absolutas reddere studuit. Ad has refero:

1. Cap. XI. Vol. 1. *de sterilitate et impotentia*-(De la esterilidad y de la impotencia).

Eundem tamen duas has voces sensu longe alio ac caeteri medicinae forensis auctores accipere sequentes docebunt earum definitiones:

Vol. I. p. 284. „La voz esterilidad, es un substantivo femenino, que significa imposibilidad de engendrar. La impotencia es del mismo genero, y que dice, dificultad para la generacion.”

Sic quoque fit, ut primum *de sterilitate et impotentia generis feminini*, deinde vero generis masculini agat. Cf. de hac materie:

GRUNER resp. SONTAG. *de causis impotentiae in Sexu potiori.* Jen. 1774. In WAIZ Neuen Auszügen. III. P. 1. et FRANK Delect. opusec. med. Vol. VII. No. 7. p. 299.

IDEA *de causis sterilitatis in sexu sequiori ex doctrina Hippocratis veterumque medicorum,* Hal. 1769. recus in Delect. Dissert. Jenens. Heidelb. 1783. Vol. II. p. 153.

2. *De Laesionibus.* Vol. II. Cap. I-XII.

Haec duodecim capita palmam fere ceteris per doctrinae soliditatem praecipiunt, dum auctorem et in praxi chirurgica bene versatum antecessoresque suos haud coeco impetu imitatum esse testantur. Numerum laesiorum absolute lethalium quidem pluribus auget, quas illuc referre nos meliora edocti sedulo cavemus; attamen non obliviscamur, hunc hispanum opus suum ante undeviginti exarasse annos spemque dedisse eodem ipso

uberrimam, se ea qua cooperat via in amplificanda eruditione progressum fuisse.

Laesiones dividit in quatuor classes:

A. *Laesiones absolute lethales*. („La primera comprehende todas las heridas que son absolutamente mortales.“)

B. *Laesiones non absolute lethales*, sive tales, quae medium tenent inter laesiones absolute et per accidens lethales; haec enim auctoris sententia mihi esse videtur, uti eam ex sequentibus ejusdem colligerem verbis: „La segunda clase contiene todas aquellas heridas cuya esencia no se conoce bien (!?), ó dudamos de ella por alguna causa; y para decirlo de una vez, esta clase de heridas tiene un lugar medio entre las que son absolutamente mortales, y las que lo son por accidente, se las puede dar con bastante propiedad el nombre de heridas dudosas.“ Patet inde; auctorem laesiones hoc loco intellexisse *per se le-*

thales, licet easdem non huc distinxit
voce.

C. *Laesiones per accidens lethales*: „La tercera abraza en si las heridas que son mortales por todo genero de accidentes; es decir, que nunca son de esencia mortales, ya sea que los accidentes existan en el sujeto antes de recibir la herida, o bien que hayan sobrevenido por la ignorancia ó defecto del Cirujano, del enfermo ó de los assistentes etc.

D. *Laesiones leves*. „La quarta, presenta á el Profesor en compendio, todas las heridas que por lo comun no tienen malas consequencias, por caya razon se les da el nombre de leves.”

3. *De Infanticidio*. Vol. II. Cap. XIII.

Non asseclam eum dixerim docimasiae pulmonum, quippe probe distinguit casus, ubi experimentum a nonnullis nimis laudatum nil probare posse, conclamant omnes.

II.

Suecici Auctores.

Horum sequentium trium notitiam debemus celeberrimo Professori Stockholmensi
GADELIO:

a. Utkost till Medicinal Lagfarenheten (i. e. Medicina forensis) af KIERNANDA. Stockholm 1776.

b. Läkaregrunda till bitrave for Stysman och Domare. Stockh. 1783.

c. Handbok i Medicinal-Lagfarenheten af ERIC GADELIUS. Stockholm 1804.

Duorum ex his scriptorum sola nobis nomina innotuerunt; tertium ab illustri auctore ipso dono accepimus. Hocce compendium est Scriptum praemio publico in certamine coronatum, dignumque sane, quod melioribus associetur germanicis hujus generis operibus. Prae ceteris scientiae medicae partibus auctor, Vir inter medicos Sueciae eruditionis gravitate neque ac ingenii gloria eminens, medicinae forensi fervorem studii sui dicasse videtur, bibliotheca huc spectante

uberrima insuper pollens. Non semper tamen exterorum patriaeque suae auctorum humeris suffultus et suo ipse interdum ingenio vela dedit, cui praxeos exemplos innutriendo occasionem defuisse eo magis dolendum.

METZGERI vestigiis inhaerens primum et copiosissime tractat formalem, deinde materialem medicinae forensis partem.

Laesiones lethales in duas dividit classes: laesiones, nempe, absolute, et laesiones per accidens lethales. Optime reprobat p. 150. laesiones per se lethales, PLOUCQUETUM secutus quoad individualiter s. in concreto lethales.

De Veneficio (om. Forgiftning p. 216.) perpolite egit. *Venenum* auctori est corpus, cuius adeo parva dosis vitam valetudinemque destruere potest. (GIFT är huart och ett ämne, som i obetydlig mängd användt orsakar en för helsan eller lifvet äfventyrlig verkan.)

III.

Non tam magnam, ac forsitan expectares,
medicina forensis in *Anglia* messuit messem
literariam. VI Hactenus unus nobis innotuit
liber huc referendus, a nullo tamen, quantum
scire licuit, germanico citatus auctore.
Titulus ejusdem est sequentis tenoris:

„Elements of Medical Jurisprudence; or a succinct and compendious Description of such Tokens in the human Body, as are requisite to determine the Judgment of a Coroner, and of Courts of Law, in cases of Divorce, Rape, Murder etc. London 1788.“

Libri genitorem nominant quemdam Doctorem FARR. Militem levissimae sane eum aestimares armaturae, nequidem TEICHMEYERO, BRENDELIO et LUDWIGIO comparandum.

Hunc excipit novius quoddam Scriptum, quod delineationem exhibit rerum in sistente medicinae forensis digerendarum, cuius sequens est titulus.

,*Medical Ethics*; or, a Cove of Institutes and Precepts, Adapted to the Professional conduct of Physicians and Surgeons: I) In Hospital Practice. II) In Private or General Practice. III) In relation to Apothecaries. IV) In Cases which may require a Knowledge of Law. To which is added, an appendix containing a discourse on hospital duties; also notes and illustrations by THOMAS PERCIVAL. Vol. II.

Obvenerunt mihi insuper in ipsis actis anglicis diversis literariis plures ad medicinam forensem referendae commentatiunculae.


Hanc tantam paucitatem Scriptorum de nostra scientia mirantes caveant tamen, ne eandem deficienti, uti crederent, adscribant nexui in Anglia legali inter scientiam medicam et justitiae administrationem. Fide dignissimae a nobis comparatae relationes unanimiter testantur, ibidem uti apud nos medicos atque chirurgos in omnibus casibus violentae hominis mortis ad videndum requiri et obducendum cadaver. Id autem infitias non ibo: nexum illum modo memoratum in Anglia ab ipsa lego non tam stricte esse

determinatum ac in nostra Germania, disquisitionibusque anglicis medico - legalibus nostrum, quoad minutissima et formam negotii, rigorem deesse; denique, placitum judicis non ea, qua novimus de nostris necessitate legali, superstrui placito medicorum. In hoc et ipsi medici anglî nobiscum per illos ipsos ante aliquod annos certioribus factis conveniunt; nec errant forsitan, qui hisce circumstantiis eos remotos ab excellenda nobilissima scientia non temere desidiae arguunt.


Mirum in modum sane in casibus medico - legalibus praxis judicialis in Anglia a nostra differt, planeque nostram respuit sollicitudinem. Sequentia id illustrabunt. Non medicis et chirurgis publica auctoritate ad has functiones specialiter designatis inspectiones et sectiones demandantur cadaverum in casu homicidii; ii solum requiruntur, qui magis vicini sunt, aut qui mortuum, dum adhuc in vivis erat, postremum viderunt (, The one nearest on hand, or the one who

has seen the Deceased while yet alive.") Sectionis actui lex duodecim viros sub praesidio judicis magistratusve interesse jubet, possessores domuum sive aliunde fide dignos. Finita sectione medicus sive chirurgus cum his duodecim communicat quae vidit et repeat; de his hi tunc conscientia sua juramento firmata duce, sentiunt, mentemque suam mediante relatione, tribunal explicant. — Si matrimoniales incidunt lites e. g. de impotentia et sterilitate, a tribunali specialiter ad has dirimendas constituto, quod „Doctors Commons“ nominant, famigeratissimi requirantur medici, qui rem cognoscant, cognitamque soli judici, non vero duabus exponant partibus. Hac duce expositione iudex sententiam fert, publiceque e. g. factum dissolutionis judicialis matrimonii cuiusdam, non autem occasio rationesque dissolvendi compertae habentur.

Haec sufficient. Alio quodam congruo loco utemur ad complendam hanc notitiam scriptorum exterorum de medicina forensi minus notorum.



has seen the Doctor who is dead
Says he has had a violent fit which
will not be repeated any more. Please
put him in a quiet place & let him sleep.
There is no danger now. He will be
back to his usual self in a few days or
weeks. I will write again when he is
fully recovered.



1879

Suecici Auctores.

Horum sequentium trium notitiam debemus celeberrimo Professori Stockholmieni
GADELIO:

a. Utkost till Medicinal Lagfahrenheten (i. e. Medicina forensis) of KIERNANDA. Stockholm 1776.

b. Läkaregrunda till bitrave for Stysman o. Domare. Stockh. 1783.

c. Handbok i Medicinal-Lagfarenheten af ERNST GADELIUS. Stockholm 1804.

Duorum ex his scriptorum sola nobis nomina immotuerunt; tertium ab illustri auctor ipso dono accepimus. Hocce compendium est Scriptum praemio publico in certamin coronatum, dignumque sane, quod melioribus associetur germanicis hujus generis operibus. Prae ceteris scientiae medicae partibus auctor, Vir inter medicos Sueci eruditionis gravitate neque ac ingenii gloriosus, medicinae forensi fervorem studi sui dicasse videtur, bibliotheca luc spectans.

